

et vulnera vero sanguis effluit; jacetque supra terram firmissime: ita sane prostratus in pulvere jacebam, mortuo plane similis, muro innixis capite & humero, vestibus & facie cruento foede inquinatis; uti dixerunt ii qui me viribus deficientem tunc viderunt; ego vero nihil scio quippe percussibus nimis afflictus; qui praesentes semimortuum me sustulerunt, lectoque imposuerunt, ad medium usque noctem insanientem. Tumor autem subito tempore humeroque dextro & pectori sinistro visu terribilis exoriebatur, acerbus, coloreque nigerissimus, tam sane gravis erat, tum equi violentia, tum durissimi muri percussio.

§. 2. Quando autem circa me occupabantur vulnera gravia medentes, fasciisque circumligabant, atque medicamenta mitia infundebant, repente tum morbus me corripiebat graviter affligens, qui me & triduo ante, pridianus autem magis me vexabat; perniciosus, qui me prope ad orci portas admovit: febris enim continua me invasit exitialis, molestaque, quae communis incolas multos invadebat, quam Hippocrates semitertianam olim appellavit, quae semper diebus canicularibus molesta est miseris mortalibus, perduratque ad Arcturum continue, ad dies automnales.